



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 3. Superbia è diuitijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

arborum à stipite latè sese explicant ac diffundunt radices: Ad eundem modum imagine non minùs impropria auri & auaritia, multa video germina, multosq; surculos una, eademq; stirpe auaritia coniunctos. Quæ in genere dicta speciatim percurramus.

§. III.

Superbia è diuitijs.

A superbia initium sumamus, vnde initium sumit omne peccatum, quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. Atque proprius diuitiarum vermis est superbia, teste S. Augustino, cui elidendo vt essent pares Philosophi, operam dederunt maximam, vt moderarentur elationem ex affluentia externorum bonorum, diuitiarum scilicet & potentia. Hæc moderatio, Christianis humilitas vocatur, quæ cohibet animum, ne insolescat, cum se homo copiosarum facultatum possessorem, & multis alijs imperitantem conspicatur; simulque efficit, ne agrè ferat, quòd his destitutus, eo in pretio non sit, apud vulgus, in quo sunt ceteri, qui his rebus abundant. Hinc Philosophum se videri volentem, qui tamen turpe ducebat, quòd patre natus esset inope,

Eceli. 10.
15. S. August. ser.
5. de Domin. &
serm. 212.
det emp.

Epictet.

apud Ari-
stot. lib.
3. cap. 26.

pe, his verbis increpat Epictetus: Estne tur-
pe tibi, quod ipse non feceris, cuius tu causa
non fueris? Quod alia ratione tibi euenit, quem-
admodum dolor capitis aut febris? Si parentes
tui fuerint inopes, aut alios reliquerint heredes,
aut dum viuunt, tenuiter se sustentant, ignomi-
nia scilicet inde ad te redundat nulla. Nec pu-
denda hac tibi cense. Discere scilicet illud potuisti
ex Philosophis. Numquamne audiuisti, turpe
id esse, quod sit dignum ignominia? id verò aliud
esse nihil, quam cui sit illudendum? Quisnamne
porrò est, quem irrideas in eo, quia ipse non fe-
cerit? Tunc verò patrem tuum effecisti talem?
an in potestate est tua, ut rectius illa se habeant,
qua ad ipsum pertinent? Permissumne id tibi est?

Senec.
ep. 87.

Quid ergo oportet? Num velle ea qua in manu
tua non sunt? aut si ista non consequare, ti-
mende turpiundo & ignominia? Incusat ex
hac radice pullulantem superbiam suam &
Seneca his verbis. Vehiculum, inquit, in
quod depositus sum, rusticum est. Mula viuere
se ambulando testantur; mulio ex calceatus,
non propter aetatem. Vix à me obtineo, ut hoc
vehiculum velim videri meum. Durat adhuc
peruersa recti verecundia. Quoties in aliquem
comitatum lautiozem incidimus, inuitus erube-
sco. Quod argumentum est, ista qua probo, qua
laudo,

laudo, nondum habere certam sedem & immobilem. Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum adhuc profeci, nondum audeo frugalitatem palam ferre, etiam nunc cura opinionum viatorum. Vides vermem superbiae? Vides quid ex opum aestimatione sentiant ij, qui ceteris sunt sapientiores?

§. IV.

Diuitiae, sunt causa multorum criminum.

Quid illis continget, quos diuitiae regunt, & agunt quod volunt? Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa, & noxia, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Pecunia delectat, non times, ait S. Augustinus, Bona res est pecunia, bona res est magna pecunia. Incidunt homines in tentationes, non times? In desideria multa incidunt stulta, & noxia, non times? Desideria quod ducunt, time. Quid est quod ducunt? Quae mergunt, inquit, homines in interitum & perditionem. Et adhuc sardus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis? Ceterum his, qui iam diuites sunt adhuc, consilium dedit Apostolus; Praecipe, inquit, diuitibus huius mundi, non superbe sapere. Vermis diuitiarum superbia est. Difficile est, ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, diuitiae

1. Tim. 6.

S. Aug.
hom. 13.

non